



Institutiones Theologicae Ad Usum Seminariorum

Simonnet, Edmond

Venetiis, 1731

Art. 1. Utrùm per se notum sit Deum existere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83594](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83594)



R. P.

EDMUNDI SIMONNET

Societatis JESU Presbyteri

TRACTATUS PRIMUS

DE DEO UNO.

DISPUTATIO PRIMA.

DE EXISTENTIA DEI.



OMINE Dei, intelligo Ens supremum, illimitatum in omni genere perfectionis, proindeque habens ex se & ex sua essentia; plenissimam sufficientiam ad existendum, & ita necessario existens independentem ab omni agente ipsum producente, aut conservante: cum è

contra sit origo & causa ceterorum omnium entium, ab ipsoque producantur, & producta conserventur, atque gubernentur. Brevius describi potest: Ens quo nihil melius esse vel cogitari potest. Hic autem de Deo quaerimus, 1. An per se notum sit illum existere. 2. Supposito quod non, utrum & quomodo constet illum existere. 3. Quomodo demonstrari possit illius existentia. 4. Utrum illius existentia possit ignorari invincibiliter. 5. Utrum fiat plures Dei, & quomodo demonstraretur unicus esse Deus.

ARTICULUS I.

Utrum per se notum sit Deum existere.

NOta. Propositio per se nota, distingui potest duplex: una per se nota secundum se tantum; altera per se nota etiam secundum nos. Prima est propositio, cujus termini, si sufficienter & perfecte apprehenderentur, intellectum hoc ipso necessitarent ad assensum, secluso omni discursu, & omni alio motivo à se distincto. Sed quia non possunt à nobis sufficienter & perfecte apprehendi, non possunt se ipsis intellectum determinare ad assensum propositionis, ad quem proinde requiritur aliquis discursus, aut motivum aliquod à terminis distinctum. Talis est propositio omnis, in qua prædicatum est de ratione subjecti, quocum proinde essentialiter connexum est: sed hæc connexio intellectui apparere non potest ex sola apprehensione terminorum, eò quod in idea

subjecti, qualem habere possumus ante omnem discursum, quantumvis evoluta, non relucet idea prædicati. Exemplum habemus in hac propositione: Deus est trinus: item in ista: Deus existit: ut patebit ex dicendis.

Propositio per se nota etiam secundum nos, est ea, cujus termini sunt inter se necessario connexi, & possunt sufficienter ac perfecte apprehendi ab omnibus saltem mediocriter sapientibus; sicque possunt se ipsis, absque ullo discursu, & motivo à se distincto, intellectum determinare ad assensum propositionis. Talis est propositio omnis, in qua prædicatum est de ratione subjecti, quocum proinde essentialiter connexum est; quæ connexio, ex sola apprehensione prædicati, & subjecti, apparere potest omnibus saltem mediocriter sapientibus; eò quod prædicatum necessario relucet in idea subjecti, qualem ante omnem demonstrationem habere possunt omnes saltem mediocriter sapientes. Exemplum habemus in hac propositione: Totum est majus sua parte.

Nota iterum. Propositio per se nota quoad se tantum, non dicitur propositio per se nota, nisi secundum quid, & cum addito destruyente: nam proprie loquendo, non est propositio per se nota, sed solum habet quidquid requiritur ex parte objecti, ut sit per se nota; hoc est, ut ex sola apprehensione prædicati & subjecti, absque ullo discursu, & motivo à terminis diverso, evidenter judicari possit vera: ita ut ad veritatem ejus judicandam non requiratur discursus aliquis, nisi propter imperfectionem intellectus, qui non potest independentem ab omni discursu evidenter cognoscere connexionem prædicati cum subjecto; quia v.g. non potest ante omnem discursum sufficienter apprehendere subjectum, & quantum necesse est, ut in ejus ratione evidenter agnoscat contineri rationem prædicati. Sola igitur propositio per se nota quoad nos, proprie & simpliciter dici potest propositio per se nota.

RESPONSIO.

Hæc propositio: Deus existit: est per se nota secundum se: at non est per se nota secundum nos. Ita S. Thom. hic, q. 2, art. 1, in O.

A

Prob.

Simonnet Theol. Tom. I.

Prob. 1. pars. Propositio illa est per se nota saltem secundum se, cuius termini, si sufficienter & perfecte apprehenderentur, se ipsis immediatè intellectum determinarent ad ei assentiendum. Talis enim propositio habet quiddam requiritur ex parte objecti, ut sit per se nota simpliciter, & quoad nos. Sed hæc propositio: Deus existit, talis est: nam in ea prædicatum est essentialiter connexum cum subiecto: existentia enim est de ratione & essentia Dei; imò est tota essentia Dei metaphysica, ut suo loco ostenditur. Ergo, &c.

Prob. 2. pars. Illa propositio non est per se nota quoad nos, cuius terminos, quantumvis inter se essentialiter connexos, non possumus sufficienter apprehendere, & quantum opus est, ut se ipsis immediatè determinent intellectum nostrum ad assentiendum propositioni. Atqui talis est hæc propositio: Deus existit: ut probat experientia non solum in atheis & rudibus, sed etiam in viris probis & doctis, qui quantumvis meditentur terminos illius, eosque penetrant, semper in illa aliquam experiuntur obscuritatem, & anxietatem animi, donec de illius veritate per discursum aliquem, aut motum fidei credibiliter propositum convincantur.

Huius autem obscuritatis, quam etiam probi & docti, antequam aliunde convincantur, circa huius propositionis: Deus existit: veritatem, experiuntur, ratio à priori est, quia in hac propositione: Deus existit: affirmatur de Deo existentia, non objectiva præcisè, sed exercita. Unde ut veritatem huius propositionis clarè cognoscere ex terminis, requiritur ut possim ante omnem discursum clarè cognoscere duo. 1. Existentiam objectivam, seu rationem existentiae esse de ratione subiecti propositionis. 2. Subiectum propositionis esse aliquid reale, prout reale opponitur ficto. Primum quidem clarè intelligo ex terminis, & ante omnem discursum: nihil enim terminos debet apprehendere, ut solent etiam à mediocriter sapientibus apprehendi ante omnem discursum, clarè relucet in idea Dei ratio existentiae: at secundum non possum clarè cognoscere, nisi per demonstrationem aliquam: quia idea Dei, qualem habere possumus in hac mortali vita ante omnem discursum, semper præscindit à realitate seu possibilitate objecti; unde in illa, quantumcumque evoluta & penetrata, nunquam clarè elucere potest vera realitas seu possibilitas; ac proinde, ut clarè convincar ideam illam esse objecti realis & verè possibilis, indigeo aliqua demonstratione. Ex his autem,

Sic adhuc argumentor. Ut clarè cognoscere ex terminis veritatem huius propositionis: Deus existit: debeo clarè cognoscere ex terminis, existentiam exercitam esse de ratione subiecti propositionis; cum affirmetur de subiecto propositionis existentia exercita. Atqui hoc non possum. Ergo, &c. *Prob. min.* Ut clarè cognoscere ex terminis existentiam exercitam esse de ratione subiecti propositionis, debeo clarè cognoscere ante omnem discursum, subiectum propositionis esse aliquid reale & possibile. Existentia enim exercita non potest esse de ratione subiecti, nisi realis & possibilis. Atqui hoc non possum. Nam idea Dei, qualem habemus ante omnem discursum, præscindit à reali & ficto, à possibili & impossibili; & ita, quantumcumque evolatur, nunquam in ea elucebit vera realitas, & possibilitas. Ergo, &c.

Obj. 1. Patres docent inesse naturaliter omnibus hominibus cognitionem existentiae Dei. *R.* Patres ita loqui, quia omnes homines per discursum maxime obvium, absque doctore, & nullo ferè negotio, ex creaturis ad notitiam Dei pervenire possunt. Respondet S. Thomas ad 1. omnibus hominibus naturaliter inesse notitiam Dei existentis, sub confusa & generali ratione beatitudinis.

Obj. 2. Illa propositio est per se nota etiam quoad nos, cuius oppositum non potest cogitari. Atqui huius propositionis: Deus existit: oppositum non potest cogitari. Ergo, &c. *R.* illam propositionem esse per se notam quoad nos, cuius oppositum non potest cogitari ante omnem discursum. At propositio huius: Deus existit: oppositum tandiu cogitari potest, quandiu rea-

litas subiecti non est per discursum aliquem præcognita, ut experientia docet.

Idem dicendum de hac propositione: Deus necessario existit: ut facile ex dictis intelligitur. Idem dic de hac propositione: Ens à se existit: nam huius propositionis veritas supponit realitatem subiecti, quæ clarè cognosci non potest ante omnem discursum: quia idea entis à se, qualem habemus ante omnem discursum, præscindit ab ejus realitate, quæ proinde clarè cognosci non potest sine aliquo discursu. Unde oppositum huius propositionis: Ens à se existit: tandiu cogitari potest, quandiu entis à se possibilitas non est præcognita per aliquem discursum. Idem dic de hac propositione: Deus est colendus: nam ejus veritas supponit realitatem subiecti, quæ, ut jam toties dictum est, sine aliquo discursu nobis innotescere non potest. Unde oppositum huius propositionis: Deus est colendus: cogitari potest ante omnem discursum. Hinc strictè loquendo, & in rigore logico, hæc propositio: Deus est colendus: non est primum principium, sed potius conclusio huius syllogismi: Si Deus est, colendus est. Sed Deus est. Ergo colendus est. Potest tamen in aliquo sensu, quamvis lato & improprio, dici primum principium in moralibus; quia, ut jam toties dictum est, per discursum aliquem realitate præcognita, intellectus facile & promptè ei assentitur, eò quod ratio prædicati evidenter continetur in idea subiecti verè possibilis. Aliud est de hac propositione: Deus existit, vel non existit: cuius veritas nobis innotescit ex terminis, nec oppositum ullatenus cogitari potest etiam ante omnem discursum: quia ante omnem discursum, & ex terminis omnibus notum est, ex duobus contradictoriis alterum esse verum, proindeque subiectum propositionis esse reale vel fictitium, possibile vel impossibile.

Obj. 3. Hæc propositio: Ens, quo nihil melius cogitari potest, existit: est per se nota quoad nos. Ergo & ista: Deus existit: quæ illi æquivaler. *R. N.* ant. Nam in illa propositione, existentia exercita affirmatur de ente, quo nihil melius cogitari potest. At ex solis terminis, & independentè ab omni discursu, clarè cognoscere non possumus connexionem existentiae exercitæ cum ente, quo nihil melius cogitari potest. Quia existentia exercita non relucet in idea entis, quo nihil melius cogitari potest, qualem habemus ante omnem discursum. Hæc enim idea præscindit à veræ & reali possibilitate objecti, cuius est idea. Includit quidem rationem possibilitatis, sicut & rationem existentiae, sed præscindendo à veræ & fictæ possibilitate. Nam includit omnes omnino perfectiones, exclusa realitate, quæ est illarum modus transcendentis.

Dices. Ens, quo nihil melius cogitari potest, necessario includit veram possibilitatem. *Diff.* Includit veram possibilitatem ex parte sui, seu ex parte objecti, C. Ex parte ideæ, quæ representatur ante omnem discursum, N. *At inquit.* Enti, quo nihil melius cogitari potest, nihil potest addi. *R.* Aliquid addi posse ex parte ideæ, qualem habemus ante omnem discursum. Potest enim melius representari. Nam potest representari cum realitate perfectionum suarum, sicut re ipsa representatur post demonstrationes solitas. *Instabis.* Ergo potest cogitari aliquid melius ente, quo nihil melius cogitari potest. *R.* Id non sequi, sed tantum, quod ens illud melius cogitari possit, & cogitur post aliquem discursum, quam ante omnem discursum: quod verum est. Nam post demonstrationes fieri solitas, cogitur cum realitate & veræ possibilitate perfectionum. Unde tunc intellectus facile & promptè assentitur huic propositioni: Ens, quo nihil melius cogitari potest, existit: propter necessariam & evidentem prædicati cum subiecto connexionem.

Ex dictis hæcenus manifestum est, hanc propositionem: Deus existit: non esse propriè & simpliciter per se notam, sed improprie tantum; non solum quia per se nota est, quantum est ex se, quatenus habet ex parte objecti quod requiritur, ut sit per se nota simpliciter, & secundum definitionem Aristotelicam propositio-

positionis per se notæ; sed etiam quia, subiecti realitate per discursum aliquem præcognita, intellectus facile & promptè ei assentitur.

ARTICULUS II.

Utrum & quomodo constare possit Deum existere.

RESPONSIO I.

Fide divina credi potest Deum existere.

Prob. Illud fide divina credi potest, quod Deus revelavit credibiliter. *Authoritas enim Dei revelantis credibiliter, est motivum sufficiens fidei divinæ.* Atqui Deus revelavit credibiliter suam existentiam. Ergo, &c. *Prob. min.* 1. Deus revelavit suam existentiam: ut patet ex c. 3. Exodi, ubi Deus sic loquitur Moyse: *Ego sum Deus patris tui, Deus Abraham..... Ego sum, qui sum.* 2. Revelavit credibiliter, ut patet ex motivis credibilitatis, quæ suo loco exponuntur, & ex quibus evidens est, Scripturam esse verbum Dei. Jam ergo habemus, quod fide divina constet, Deum existere.

RESPONSIO II.

Deum existere, probari etiam potest certò & effecaciter, argumentis citra divinam revelationem evidentè notis.

Prob. 1. ex Scriptura. Nam Sap. c. 13. dicitur: *A magnitudine speciei & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* c. 1. Rom. *Quod notum est Dei, manifestum est in illis* (sapientibus ethnicis;) *Deus enim illis manifestavit. Invisibilia enim ipsius à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur, sempiterna quoque ejus virtus & divinitas.* Certè verba videndi, manifestandi, conspiciendi, quibus utuntur Sapiens & Apostolus, & quæ sumi debent in sensu proprio, cum ea sic sumi nihil veter; probant evidentem existentiam divinæ notitiam haberi posse ex creaturis. Ergo, &c.

Prob. 2. ex S. Augustino, qui tract. 2. in Evang. Joannis, de Deo dicit: *Potest inveniri per creaturas evidenter, dicente Apostolo: Invisibilia enim Dei, &c.* Accedit experientia eorum omnium, qui ad demonstrationes, quæ fieri solent de existentia Dei, debitè attendunt, nec prava aliqua passione excæcantur.

RESPONSIO III.

Non potest tamen existentia Dei demonstrari à priori. Ita S. Thomas hic, q. 2. ar. 2. in O.

Prob. Demonstratio à priori est ea, quæ fit per causam. Sed existentia Dei non potest demonstrari per causam. Ergo, &c. *Prob. min.* Nam 1. Deus non habet causam efficientem; cum sit ens à se. 2. Non habet causam finalem. Nam cum sit ens supremum, necesse est omnia in ipsum ultimè referri. Præterea, sicut est essentialiter primum principium rerum omnium, ita & est essentialiter rerum omnium finis ultimus. 3. Non habet causam materiale neque formalem, quia est ens simplicissimum & incorporeum. Denique nihil habet in se, unde ejus existentia fluat secundum nostrum concipiendi modum, & ex quo velut notiori demonstrari possit. Ergo, &c.

Nec dic, secundum nostrum concipiendi modum, aſcitatem in Deo esse priorem ejus existentia, velut radicem ipsius secundum nostrum concipiendi modum. Nam aſcitas, etiam formalissimè sumpta, non est aliud, quam existentia independens à causa producente & conservante. Unde aſcitas in Deo se habet ad existentiam, sicut in homine humanitas ad animalitatem; hoc est, tanquam includens ad inclusum: nec magis etiam secundum nostrum concipiendi modum existentia in Deo fluat ab aſcitate, quam in homine animalitas ab humanitate.

Simonnet Theol. Tom. I.

RESPONSIO IV.

Existentia Dei potest demonstrari à posteriori. Ita S. Thomas.

Prob. Demonstratio à posteriori est ea, quæ fit per effectus. Atqui existentia Dei potest demonstrari per effectus. Ergo, &c. *Prob. min.* Ut per effectus aliquos demonstrari possit Deum existere, tria requiruntur, & sufficiunt. 1. Ut evidens sit effectus illos existere. 2. Ut effectus illi necessariam habeant connexionem cum causa prima & improducta. 3. Ut hæc connexio sit evidenter cognoscibilis. His enim positis, potest ex duabus præmissis evidentibus concludi evidenter existentia causæ primæ & improductæ, quam nomine Dei intelligimus. Atqui hæc tria adiunt. Nam 1. evidens est creaturas existere. 2. Creaturæ existentes necessariam & essentialem connexionem habent cum causa prima & improducta. 3. Hæc connexio est evidenter cognoscibilis in creaturis existentibus, saltem collectivè sumptis. Ergo, &c.

Obj. 1. Causa non potest demonstrari, nisi per effectum proportionatum. Sed creaturæ etiam collectivè sumptæ, non sunt proportionatæ Deo. Ergo, &c. *R.* Causam non posse quidem demonstrari quoad essentiam & perfectiones, nisi per effectum proportionatum; at posse quoad existentiam per effectum improporionatum; modo adfint condiciones suprâ requisitæ.

Obj. 2. Demonstratio fit ex necessariis. At creaturæ existentes non sunt necessariae. Ergo non potest ex illis demonstrari existentia Dei. *R.* Dist. maj. Demonstratio fit ex necessariis quoad existentiam, n. maj. Ex necessariis quoad connexionem, c. maj. Quamvis autem creaturæ non sint necessariae quoad existentiam, quia possent non existere; sunt nihilominus necessariae quoad connexionem cum causa prima & improducta, à qua essentialiter dependent in esse & in operari.

Obj. 3. Probationes existentia Dei, petita à creaturis existentibus, pendunt non solum ab earum connexionem necessaria cum Deo, sed etiam ab earum existentia contingenti, & in eam resolvuntur. Ergo non possunt esse demonstrativa. *R.* N. consequentiam. Nam sequitur tantum, quod probationes illæ non possint facere demonstrationem metaphysicam, sed solum physicam faciant; quia videlicet non possunt habere majorem evidentiam & certitudinem, quam habeat contingens existentia creaturarum, quæ non habet nisi evidentiam & certitudinem physicam.

RESPONSIO V.

Potest etiam existentia Dei demonstrari à simultaneo.

Prob. Nam potest demonstrari existentia Dei ratione aliqua, quæ non sit à priori, nec à posteriori, nempe ratione deducente ad impossibile.

ARTICULUS III.

Utrum re ipsa demonstretur Deum existere.

Responſionem affirmativam probabimus, afferendo aliquas demonstrationes existentia divinæ.

PRIMA DEMONSTRATIO,
petita ex notione entis à se.

PROPOSITIO I.

Ens à se est ens se solo sufficiens ad existendum.

Prob. Nam ens à se hic à nobis dicitur, non efficienter; evidenter enim repugnat aliquid esse causam efficientem sui ipsius; sed formaliter, quatenus habet ex proprio fundo plenissimam sufficientiam ad existendum; sicut ad existendum non indigeat influxu causæ productis, vel conservantis.

A 2 PRO.